possis, vel ad magistros deferas corrigenda, cum ea quidem pru-
dentia ut memineris equinæ caudæ pilos singulatim vellendos esse,
neque in tenera ætate (præsertim ubi in matris complexu aluntur)
omnia vitia ad vivum resecari posse. Sed potes hoc efficere, ut te pu-
eri vel mediocriter revereantur, fac adsis eis perpetuus custos, mi-
nus peccabunt et paulatim quæ tibi nunc intractabilia videntur mi-
tescent, et quæ ardua putas prona fient. Addam unum magnum
semel atque iterum junge tibi puerulos in conclavi ut simul fa-
ciatis invocationem Dei in nomine Jesu Christi. In ipso articulo
invocationis fac brevem exhortationem ad manum habeas ex
scripturis, quæ tangant ea vitia, quibus inprimis obnoxios pueros no-
sti, ut sensim intelligant quæ tute in ipsorum moribus reprehendis: ea-
dem voce divina damnari. Sed ego nimis inepte tam multa fabu-
lor. Saluta mihi Bauwezium adolescentem bonæ indolis, et ei hoc
nostrum carmen communica, deteris quam vellem descriptum. Vale
Bremæ 5. Calend. Junij 1558.

Amicus tuus
Johannes Molang.

156.

Amico meo non vulgari M. Jacobo
Castrico postquam non sincere
confessus, verum, e carcere
dimissus fuerat. Hyeros:

[= Macria. 7. Nr. 23]

Charissime amicorum, in magnis doloribus, quibus hoc biennio pene
obruta sum atque extincta, non sane minimam partem sibi
vindicavit tam diuturna tamque horrenda captivitas ejus, quem
ego a teneris egregie semper amavi, non solum ut necessarium,
sed multo magis ut in Domino æterna charitate devinctum. Non
est fas multis commemorare, quam ardentibus votis, quam cre-
bris suspiriis Filio Dei Servatori nostro commendaverim
salutem et tuam et uxoris tuæ et parvorum liberorum. Crede
mihi mi frater etiam vincula tua nonnulla communicati-
one mea fuerunt. Quæsivi sæpe viam scribendi aliquid, sed
quum nihil succederet (in altissimis enim tenebris conclusus
dicebaris, ad quas nemini propinquorum esset accessus, neque me
fugiebat quanta periculi magnitudo tibi ex meis literis acci-
deret si deprehenderentur) tandem nactus virum fidelem, qui
Hysprias cogitaret, scripsi de causa tua ad primarium quendam,
sed id nunc intelligo ipsorum auxilium fuisse. Dimissus es enim (ut au-
dio) quamobrem gratulor tibi et familiæ tuæ, si tamen ea cum ea
integritate confessionis dimissus es, quam juxta doctrinæ for-
mulam Dei gloria requirebat. Si dissimulasti, (quod Deus
prohibeat) et veritatis dispendio vitam redemisti, nondum,

bile, qui longe nunc gravioribus tormentis discruciaris,
quam tunc cum omnium hominum solatio destitutus, in penitis-
simo carcere nihil nisi mortem cogitares: quid enim homini
praesertim pio queat accidere tristius, quam si sentiat se in æ-
rumnosa vita ultra bona conscientia sese jacturam fecisse, scio
esse horrendam quandam destructionem naturae etiam in optimo
quoque et perpaucorum esse hominum libera confessione Dei
filium apud impios glorificare, neque libet mihi male ominari,
in re mala de te mi frater, quem scio a puero syncerae
pietati deditum et ex animo addictum fuisse, neque dubium est mi-
hi quin si quid horribile tot hostium carnificina tandem debi-
litatus contra conscientiam peccasti, redditurus sis ad cor respe-
ctu Misericordiae Patris nostri qui non succendit in servos suos
totam iram suam, sed cum castigat recordatur clementiae suae pro-
pter Mediatorem et propitiatorem nostrum Jesum Christum,
attamen attende tibi ipsi, ut peccandi finem facias, imiteris A-
postolum qui egressus foras flevit amare. Non moveant
te aliquot magnorum exempla qui in simulatione impia conse-
nescunt, sed quum intelligas horrendam Dei iram esse ad-
versus peccantes, si te puduit Filii Dei et Evangelii, si aut
negasti eum, aut semiclauso ore confessus, crede verbo Dei
non minus ubi aeternas poenas minatur perfidis, quam ubi
fidelibus aeterna bona promittit, haec ideo admoneo libere,
quia te novi et pietatem tuam, sed vim et impressionem
atrocissimorum hostium vereor, ut infracto animo potueris
perferre, praesertim cum te iniquis quibusdam conditionibus
dimissum ab eis audiam, et quaedam, ut illos placares, praestari
abs te non congruentia saniori doctrinae, haec si vera sunt,
scio te in maximis angustiis esse, ex quibus ut eluctari salvus
possis una via est, ut multum confisus misericordiae propitiato-
ris commendata propinquis uxore et liberis salebrata terra
effugias, priusquam dissimulandi diuturnitate Spiritum sanctum
excutias et in Dei manus impingas. Antverpiamusque, si potes, pro-
repere, ut animam tuam serves, ibi noster cognatus Hans Lempe in
den Wallsack monstrabit, qua via facillime ad me pervenias,
ego te hic et liberaliter et lubenter domi meae fovebo, donec
inveneris tibi locum, ubi uxorem et puerulos tuos alere possis. In-
terea quod feci hactenus salutem tuam filio Dei Mediatori no-
stro quanta potero attentione commendabo. Tu vero mi
frater anima tua dans gloriam Deo, cujus nomen a-
pud impios tua dissimulatione contaminatur, cum magno
dolore eorum, qui amant Jesum Christum aliquid peri-
culi est in fuga ab iis qui occidunt corpus, in mora ve-
rò certum impendet discrimen ab eo, qui animam simul ab-

jicit in gehennam. Mi frater scio te adoptatum esse
ad vitam aeternam, si praevaricatus es, resipisce, non erit
lapsus ad mortem, condonabitur tibi per Christum Me-
diatorem, erige modo animum tuum fiducia illius, et quae
ad gloriam nominis ejus maxime pertinent, ea deinceps sta-
tue tibi qua vita quave morte constanter et fortiter
perficienda. Vale. Tuus semper dum erit Christi
Bremae natiuit. johan. 1558.

johannes Molang.

(57.) Gerardo Stedingo Witteberga
Pax Dei per jesum Christum.

[= Mscr. a. 7: Nr. 24]

Dilecte Stedinge. Quod D. Philippus qualecunque car-
men nostrum non fastidiverit, meum animum non me-
diocriter recreavit, non sane quod aliquam inde mihi lau-
dem expectem, aut expetam homunculus apud omnes ordines
contemptus, sed quod debilitatum jam pridem et projectum
hunc animum (in illa quasi confessione quadam meae fidei)
tanti viri judicium erexerit non nihil et confirmarit, ora
pro me dulcissime Stedinge, ut qua me pusillanimem semel
Deus gratia complexus est in filio dilecto, eadem usque ad extre-
mam vitae metam me prosequatur. Non temere id abs te
contendo; Nam non facile credas per istam duram et diu-
turnam Domini castigationem (de qua prioribus ad te literis aliquid scri-
psi) quantum mihi decesserit, non de corporis tantum valetudine,
sed de contentione animi et pietatis ardore. Nisi quod nonnul-
la fiducia pendeo ab humeris filii Dei nihil mihi jam opis reliqui
est: nulla aliunde ostenditur spes salutis. Ne (quaeso) ne me exu-
tias φιλάνθρωπε Pastor animae meae, ne ovem errantem et stu-
pidam Sathanae hostis tui praestigiis impediri posthac sinas propter
nomen tuum. Amen. Quod scripsisti de carmine vulgando,
quamvis nihil minus fuerim, neque dubitem esse in eo quae justam re-
prehensionem effugere non possint, tamen si digne erit, aut D.
Philippus aut aliquis praeceptorum vestrorum, saltem majo-
res nervos dederit, non invitus patiar, ut hac in re animo tuo
obsequaris. Reliqui in patria adolescentes multos, propter
diram Pontificum tyrannidem, infideliter institutos, iis vel pro-
pter argumenti praestantiam, nec inutile foret si id nec in-
gratum. Eorum me recordatio angit interdum, nihilque est quod
malim, quam quoquomodo apertiorem fidei et doctrinae confes-
sionem, apud illos reddere, (quos olim partim inscientia, partim
formidine prohibitus) fraudavi lucilenta veritatis communicatione.